



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Consultationes Theologicæ Et Spirituales Christiani verè
fidelis & verè devoti ...**

... De Excellentissimis Dei


Louis François <d'Argentan>

Augustæ Vindel. ; Dilingæ, 1701

VD18 90029526

Censura Et Approbatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45487




CENSURA

ET

APPROBATIO.

Edidit non ita pridem Consultationes Theologicas & Spirituales de Excellentiss Dei Gallico Idiomate R P. Ludovicus Franciscus Argentariensis Capucinus Normandiæ Provincialis, refertas amorosis affectibus, & efficacibus incentivis Divini amoris, & altissimis Theologiæ Mysteriis petitis, conformes Catholicæ veritati, SS. Patrum doctrinæ, & communi Theologorum eruditioni, traditas methodo magis practicâ, quàm speculativâ, ut jure merito dici possent Theologia quædam positiva, non ab-similis (nisi quod magis ordinata & elegans) illis prisco-rum Patrum Collationibus & alloquiis, in quibus desuper illustrati Sancti Dei homines de rebus Divinis tam subli-mia loquebantur, ut humana Sapientia attingere non va-leret, quæ hi-simplicibus verbis, comparisonibus, alle-goriis, Dialogis, aliisque dicendi modis altissimè de Deo discurrebant, & interloquebantur: eo plerumque affectu, ut audientium mentes non solum erudirent, erudiendo il-luminarent, & illuminando ad DEUM elevarent, sed etiam voluntates commoverent, & Corda divino quodam igne & spiritu accenderent. Tales namque sunt etiam Consultationes istæ Theologicæ ac Spirituales de Excel-lentiis

lentiis DEI, occultâ quâdam vi legentium animos afficiunt ac virtute; cœlesti quodam radio illuminant, & supernaturali velut æstu succendunt, atque mirabiliter in DEI amorem abducunt, imò rapiunt & trahunt: quod experti sumus, postquam easdem à R. P. Isaac Oxoviensi Capucino Concionatore Guardiano Bambergensi, per Franconiam Custode, atque Diffinitore actuali cum magno labore & elegantia, pari que spiritu ac studio latinitati donatas, jussu Admodum R. P. Adriani Wildenauensis FF. MM. Capucinorum per Bavariam & Francon. Ministri Provincialis relegendas & examinandas suscepimus. In quibus proinde attestamus, nos nihil reperisse, aut à fide orthodoxâ alienum, aut bonis moribus contrarium, aut piarum aurium offensivum, quin potius invenimus de altissimis Fidei Mysteriis doctrinam solidam & planam: De Deo & ejus Excellentis Veritates Catholicas sapientibus hujus mundi absconditas, & parvulis revelatas ac revelandas. Theologiam planè cœlestem, sublimissima DEI attributa, & ipsa SS. Trinitatis arcana humiliter & apertè tractantem: Consultationes verè spirituales, quæ spiritum spirant & redolent, ad viam & vitam spiritualem ducunt & inducunt, spiritum excitant & divino amore inflammant: paucis, librum pulcherrimum, jucundum, piè curiosum, doctissimum, devotissimum, ex integro Catholicum & utilissimum, tum verbi divini Præconibus, qui doctis & indoctis debitores, utrisque satisfacient, dum altissimos ex hoc Conceptus & materias tractabunt, verbis tamen tam
 planis



planis & apertis loquentur, ut quæ aliàs Fides abscondit, velut remoto peplo, etiam plebei & simplices oculis cernere videantur: Tum Professoribus, Lectoribus & studiorum Magistris, qui his Consultationibus benè sibi consulent, dum inæqualis Minervæ capita nacti, eis summas difficultates tam faciliter explanabunt, ut quod dociliores aliàs discipuli, non nisi longo tempore apprehenderent, rudiores quique brevissimo spatio addiscant: Tum etiam ascetis & Religiosis omnibus, vel ad formandos spirituales Discursus in conversatione cum Sæcularibus, vel ad semetipsos excitandos & elevandos in Divinarum perfectionum meditatione, lectione, & explanatione, ac quod primum esse debet in divino amore se & alios accendendos.

Has itaque Consultationes Theologicas ac spirituales, ad plurimorum usum & fructum, DEI Gloriam & honorem, proximi salutem & consolationem, Seraphicæ Religionis nostræ decorem & ornamentum evulgandas, ac non uno sed mille prælis dignissimas judicamus, atque ut ad nos velociter redeant exoptamus denuò legendæ & relegendæ. Dabam Bambergæ sexto idus Augusti 1699.

F. Edelbertus Rottenfelsensis
Capucinus Ind.

F. Philippus Herbipolensis
Capucinus Ind.